

ginta obtinebit, vt omnibus, quæ sacrorum usus, templi dignitas postulat, reponendis possit sufficere. Iam parochiæ hoc est, pastoris ædium finitio, secundū dextrum templi parietem hac methodo expedietur. Ex angulo quā in téplum aditus comparatus est, linea in sexaginta pedes educetur, defensionis muro parallela, ex cuius deinde fronte linea recta ad angulos compares producetur versus munitionis parietē, à quo viginti quinq; spacio pedū interposito distabit. Post hęc denuo linea angulis rectis ad chori angulum usq; procurrente assequemur, vt intra munitionem, parochiam, & templi parietē via relinquatur viginti pedū latitudine. Deinceps in iam ducta linea ab ultimo eius termino, ad cētum virginis pedes notula designabitur, vnde linea rectagula ad templi usque parietē educata, pastoris hortum intra parochiam & templum triangula area definiet: reliqua enim perscriptionis portio eius ædibus ibi struēdis assignabitur. Postremò ex sinistro itē latere versus munimina triangulus fastigiatus describetur, qui & ipse in horti usum pastori concedet. Sic enim eadem opera impensaç; & parochiæ dignitatem absoluēris, & templi sacrarium à sacrilegis manibus submoueris. Atqui hactenus de templi ratione à nobis perscripta hisce ferè notis in subiecta operis delinatione distinguemus, vt Chorus, templum 2, turris 3, sacrariū 4, parochia 5, hortus minor senario, maior septenario differat.

His legitimè confectis, proxima cura suscipietur, officinas rubeis metallis cōflandis oportunas destinare, easq; propè communes, quò cuiusvis generis artifices, qui ex ære cuprōue operis quippiam volunt conflare, statim sese recipiant. Nā huic rei minimè passim in arce officinæ cōcedentur. Harum igitur modus hic utiliter cōstituetur, qui & usq; sit accūmodatus, & valetudini veneno, quod fumo diffunditur, minimè officiat. Numero igitur quatuor hoc quantitatis modulo fabricandæ sunt, vt laterū singulis in centenos pedes excurrat. Locū quidem valde fortiuntur oportunum, si in C. angulo præfiniuntur, vt ventorum beneficio venena fumorūque inde consurgētiū crassitudo discussa, extra mœnia depellatur. Vnus enim austus, qui rarius flat, fumos in arcem potest refundere. Per bellè autem hoc situ officinæ struentur, vt binæ coniunctæ totidem multo respondeant frontibus, platea quinquaginta pedibus lata interiecta. Nec tamen committendum est, vt munitionem contingent, à qua ad vigintiquinque pedes laxa interposita circumquaque via, distabunt. Porrò binarum officinarū quæ contiguæ sunt, longitudinis finitio ita constituenda est, vt A.C. lineæ aduersæ parallela existat. Atque hisce ferè numerorū characteribus. 8. 9. 10. 11. officinas infrā distinguemus.

Iam pro regiæ ostio, quod munitionis portæ ex aduerso obiicitur, intra. A.C. fori habendi ratio prescribetur huiusmodi, vt diametro transuersa pedes ducentos, longitudine trecentos obtineat: huius ¹² nota exarabitur. Ad forum deinde dextrà sinistrāque versus struendis ædibus præfinentur areæ singulæ, quarū ducentos quæque pedes latitudine, quadrangētos sex longitudine possideat. Quæ ex his ad arcis in gressū dextra est, eā in binas portiones æquas interseca, quarum altera quæ foro aduersa est, basilicæ seu curiæ ædificadæ destinabitur.

In